

A. D. O. M.
THESES MEDICÆ.

De
Locorum affectorum, secundum Galenum, notitiâ:

Ad quas
P R A E S I D E
ERNESTO HETTENBACHIO
Philosophiæ & Medicinæ Doctore,
eiusque Professore Pub.

*In inclyta Witebergensi Academia, exercitij gratiâ,
publicè respondebit.*

M. IOHANNES GEORGIUS MAGNVS
Augustanus.

Die 8. Aprilis.

Hora & loco consuetis.



EX OFFICINA CRATONIANA.

ANNO M. D. CXVII.

4

19
1617



Reverendis, Clarissimis, ac de
Ecclesia Dei optimè meritis viris,
D. POLYCARPO LYSERO,
SS. Theologiæ Doctore dignissimo, aulæ
Dresdensis Ecclesiasti sincerissimo, fidelissimo.

D. AEGIDIO HVNNIO
S. Theol. Doctore meritissimo, eiusdem
Professori præstantissimo, Ecclesiarum Elect:
Superintendenti vigilantissimo:

NEC NON

Clarissimo ac expertissimo viro

D. SALOMONI ALBERTO,
Medicinæ Doctore, ac Saxonicae domus
Elect: archiatro felicissimo,

*Dominis, patronis, ac fautoribus meis maximo
perè colendis,*

Theses has Medicas

Dico Dedico

Respondens.

T H E S E S
De Locorum affecto-
rum notitia.

I.



*Ὅτιον, locum, Philosophi aliter quam Medici inau-
diunt.*

II.

*Etsi enim utrisq; à corpore ille non separetur; prius
tamen medicis & primo omnium Hippocrati, de huma-
ni corporis partibus vocabulum intelligitur: cui τόποι sunt
οἱ κατ' ἀνθρώπου; ἢ τὰ τῶ σώματος μέρη, ἢ μέρη ut Galenus
passim explicat.*

III.

*Τόποι autem συνονύμως corporis humani partes sunt,
ἐν πλάτει quidem quaecunq; seu magnæ seu parvæ, eademq;
vel sanæ vel ægræ: ἀκριβῶς autem & pressè magis quæ præ-
ter naturam sunt affectæ, & vel simpliciter τόποι vel cum
adiecto, τὰ πεπονητά ἢ πάχοντα μέρη.*

IV.

*Melius autem, & mea quidem sententiâ rectius Gale-
nus περὶ τῶν πεπονητῶν quam τῶν παχόντων libros suos inscri-
psit, nimirum διάθεσιν ἢ κατάστασιν τῶν παρὰ φύσιν partium u-
tramq; innuens, & quæ ἐν τῶ γίνεσθαι, esse suum obtinet, &
quæ parti μόνιμῶς ἐστὶ, atq; à causa cessante introducta, iam
εἰκασία & familiaris facta.*

V.

In utraq; enim constitutione verè partem præter suæ

A 2 Natu.

Naturæ modum habere, & οὐκ ἄλλω, quib. olim affectus
ipsum corpus eiusq. partes, quocunq. generationis modo infe-
stantes, Archigenes indigitavit, contra ipsum Verè πᾶσι &
ea quidem præter Naturam cum Galeno asserimus.

V I.

Affectas autem corporis partes, qui lesas easdem vel
præter Naturam se habere dicunt, vel etiã impeditas, idem
statuere æstimandi sunt; quando ubiq. ἢ πᾶσι φύσιν κατασκευῆ
partium notetur, & ex receptorum vocabulorum in arte
mutatione nihil quicquam ad curandi rationem, utilitatis
demanet.

V I I.

Nam ut rectè cures, partem affectam accuratè no-
vis oportet; cuius quidem cognitio tam est curationi, arctè
copulata, ut illà ignoratà, hæc frustra omninò suscipiatur.

V I I I.

I. de flatu-
bus. t. 4.

Vt igitur morborum omnium modum unum & eundem
seu speciem unam, quam Hippocrates statuit, ἢ τῶν τόπων
ἀδιδιότης & ἀνομοιότης admodum variat, & causa est, ut morbi
omnes nihil inter se quicquã simile habere videantur: ita
& τὰς τῶν αὐτῶν τόπων ἀλ. φαρὰς, curationem subinde im-
mutari contingit.

I X.

Loci autem omnes (de affectis hîc loquimur) vel sen-
su, vel ratione, naturalibus judicãdi principijs inveniuntur.

X.

Hinc illorum differentia petitur, quia alij ἐπιπόλοιοι sunt,
foris positi & externi, τὰ φαινόμενα οὐ φῶς μέγιστα Galeno:
alij

alij ἐν βάθει & corporis profundo abditi latent, interni dicti,
ἀφανῆ ἀποδηοῦ μέρη eidem.

X I.

Etenim sensibus duntaxat externi contenti sunt,
ἕδαιμῶς σοφίᾳ eis ἀγνώστω indigi, ut Galenus loquitur, no-
titiam Ἰπποκράτει de se medico exhibentes.

X II.

Internos, ratio ex sensui oblatis, signis λογικῶν συχασμῶν
& artificiosa dicta coniecturâ, colligit. Signis enim interni
tantum innotescunt, quorum in externis nullus usus existit.

X III.

Et hinc adeò factum, ut libros Galeni de locis affectis,
olim Mauritanorum schola DE INTERIORIBVS
indigitarit, quod de signis corporis partium inibi doceatur.

X IV.

Harum ergo notitia etsi difficilis magis & anceps vi-
deatur; nihilominus tamen & ipsa certitudinem habet, &
in Anatomica disciplina exercitatos rarò fallit.

X V.

Est enim hæc artificiosæ coniecturæ propria δύναμις, ut
per eam acquisita notitia sit ὡς τὸ πολὺ κατὰ δεξιάν, serè ple-
rūq; ex causarum & effectuum serie constituta.

X VI.

Nominat autem illam Hipp. τέκμαρτον, Galenus (in com.) l. de diæta
ἀπὸ τεκμηρίων γνώστω; alibi ἐν τῷ μεταξύ πῶς statuit ἀκριβέστερον ^{acut.}
γνώστω & παντελῆς ἀγνοίας, sed quæ ipsa tamen à veritate
quàm proximè absit.

X VII.

Quamvis enim in designanda affecta sede, ex dispositionis
partium

A 5

3. progn.
Hipp. 1.
4 1. comen

partium malignitate, vel mirifico morborum implexu, signorumque magno varioque concursu, aut temporis ratione hallucinetur interdum Medicus: tamen quia artifex idem, quam minimè errabit. Nunquàm enim errare μέζον ἢ κατ' ἀθροπον, ut piè Galenus existimavit.

XVIII.

Sæpè verò & non citra egrotantis perniciem à recto tramite deflectere & in actione titubare oportet, qui ne semel quidè corporis humani sectionem, vel aggressus ipse est, vel tractantibus eam, unquàm astitit. Cui perinde fuerit, cum vulgo eam cordi regionè assignare, qua sub pectoris ensiformi cartilagine, lacunula cordis dicta, dehiscit; quæ ob partem εὐαισθησίαν, ab acris & crassis humoribus, mordens premeusve dolor persentitur. Quæ pars veteribus quoque καρδίας nomine venisse sæpè apud Galenum legitur.

XIX.

Quare passim Gal. τὴν τῆς ἀνατομῆς ἐγχείρησιν unice commēdat, quod præter cætera, qualis sit cuiusque partis ἰστία, quæ singularum ἐργεῖα, & πρὸς τὰ πλεονάζοντα μέρη κοινωνία, ac positus ratione consensio atque societas, ipsa accuratè commonstret, tum medici iudicium in tota hac πραγματείᾳ confirmet.

XX.

Σημῆσι autem, in genere authori finitionum Medicarum, τὸ τῆ ἀδήλα δηλωτικὸν describitur.

XXI.

Etsi enim ea signi vis & natura est, ut sensibus semper obvium ipsum, latè aliud & obscurum, nobisque ignotum significet.
Cuius

XXII.

Cuiusmodi quidē si διηλεκτῶς id, ἢ διάπαντ ὁ ἀνάγκηως
 præstet, περὶ ἄλλοι; sin ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ saltem, nec necessario,
 sed ut plurimum rem eandem notet, privatim σημεῖοι gene-
 ris nomine, Galeno inauditur. 3. progn.
t. 39. com.

XXIII.

Hoc ἐκ τηρήσεως ἐμπειρικῆς, ὅ fortuitis notatur observa-
 tionibus: illud ex ἀκολουθίας λογικῆς firma ὅ Syllogistica
 consequentia deducitur ac demonstratur, ex causis, effecti-
 bus aut his adherentibus collectum.

XXIV.

Ex natura autem correlativorum cum corporis διάθεσιν
 signum monstret, pro triplici eius differentiā, triplex etiam
 signorum genus, sine quodq̄ suo distinctum, constituitur.

XXV.

Alia enim ὑγιεινὰ, κατασκευεῖν τὴν καὶ φύσιν notāt: alia νοσώδη,
 eam quæ est παρὰ φύσιν: alia ἐδέτρα, quæ ἀμφίβολα planè
 sunt, ὅ nature ancipitis in utriusq̄ confinio posita.

XXVI.

Signata ergo de triplici corporis constitutione intelli-
 guntur. Hæc verò quando constans, quoad mortalem mor-
 talis vitam vivit, minimè sit, sed fluxa ὅ in horas muta-
 bilis, pro varia motus ratione, tres signorum differentias a-
 lias parit, singulis superiorum generum communis.

XXVII.

Quæ enim præsentem affectionem seu constitutionem,
 quæ actu jam corpori inest, demonstrant, ἀγνώσκον demons-
 trativa inde, à fine Latinis dicuntur: quæ imminentem aut
 futu-

futuram *Ἀγνοῖαν* praesagiunt, *ἄγνωστα* sunt, praedictiones
dicere possis non incommode, aut praesensiones: quae vero
praeteritam memoriae reuocant, *ἀναμνηστικά* appellata vere.

XXVII I.

Triples hoc genus *ἄγνωστικῶν* appellatione, primis Me-
dicinae parentibus venit, quod tam praeteritorum & praes-
sentium, quam futurorum praedictio esse possit, etsi his pro-
priè magis competere videatur.

XXIX.

Signa igitur, quibus de nobis agendum in praesentia
est, & quorum beneficio, mens, non citra tamen sensus opem,
in corporis penitiori recessu abditas & affectas partes ve-
natur & signat, *Ἀγνωστικά νοσῶδη* & *πικύρια*, contra Em-
piricos statuimus.

XXX.

Fontes autem, è quibus affectarum sedium, haurienda
Medico signa sunt, quinq; Galeno commonstrantur; nimirū,
ἐνεργητικὰ βελλαμύρια, ἐκκενώματα, δέσις, οἰκτὰ συμπτώματα &
ἢ κτ' τῶν ὀδυῶν ἰδιότης, id est, actiones laesae, excreta, positus
vel situs, propria accidentia, & proprietates doloris.

XXXI.

Neq; moramur, quod Galeno hic de signorum mira va-
rietate, qua passim in libris suis utitur, & dubia ferè illorum
enumeratione, ab alijs obijcitur.

XXXII.

Quamvis enim signor. nunc numerum nunc appellatio-
nem variet, sibi tamen ubiq; similis esse & consentanea do-
cuisse, attento lectori, deprehenditur.

Nimis

XXXIII.

Nimirum, cum pauca admodum sint partium notæ, quæ non simul dispositionem ipsam indicent, & pauciores adhuc affectuum ipsorum, quæ & ipsæ tamen partibus communicant, nunc propria, nunc communia: nunc pauciora, nunc plura numeravit, suo hoc dans genio, Vir Atticus, cui quæcunq; vel doctrinæ obscuritatem; vel cognitioni ingratam moram, dum curationi præsertim accingitur medicus, afferunt, sunt studio omissa & neglecta.

XXXIV.

Nullò enim negotio ad tres tantum fontes, vel pauciores contrahi superiores possunt: quod ab alijs, qui methodum signorum universalem scripsisse videri volunt, factis tatum videmus. Nos vero Galeni ductum, clarioris doctrine gratia, sequi maluimus.

XXXV.

Actio ergò lesa, de instrumento opifice similiter affecto testatur.

XXXVI.

Instrumenti autem ratione cum ipsam partem similem, à qua primò actio perficitur, accipimus; tum alias quoq; quæ usum ipsi aliquem præbent; tum verò ipsum totum instrumentum seu partem totam organicam, quæ est dissimilari: etsi æquè & similem partem organi nomenclatio attineat, cum τὸ ἀνομοιομεγές non organo sed ὁμοιομεγῆ ὀρ-
ponatur.

XXXVII.

Actionum differentie facultatum & spirituum numero
B respon-

respondent. Actiones namq; à facultatibus prodeunt; has spiritus sufficit membris; spiritus animæ proximum instrumentum.

XXXVIII.

Sunt igitur ex actionibus aliæ ψυχικαὶ animales: aliæ ζωικαὶ vitales: aliæ φυσικαὶ naturales.

XXXIX.

Et animalium quidem aliæ ἡγεμονικαὶ seu principes, ut imaginatio, ratio, & memoria, quæ interiorum etiam sensuum actiones Galeno vocantur: harum oblesio cerebri affecti nota existit.

XL.

Aliæ κινητικαὶ κατ' ἐπιπέδον, quæ ad voluntatis nutum, nervorum musculis insertorum ope absoluntur. Quibus vel in parte vel in toto affectis, nervos vel eorum principia lesa esse significatur.

XLI.

Αἰσθητικαὶ sunt quinque exteriorum vocatorum sensuum actiones: ex lesa enim visione, oculum affectum agnoscimus; auditione, aures; olfactione, nares; gustatione linguam; tactione nervos.

XLII.

Vitalium actionum præcipua est, ἡ κίνησις τῆς ζωικῆς ἐπιπέδου: unde cordis & arteriarum pulsus existunt. His enim ἀσυμμετρῶς naturali remittentibus, aliud nullum certius aut firmiter, fatiscens jam, nutantis, aut omnino oppressi roboris vitalis τελευτήσιον dari potest: de quorum differentiis alibi Galenus prolixè disputavit.

Ex

XLI II.

Ex Naturalibus, sola *ἰσχυρὰ*, quia bene vel contra affici corpus eiusq; partes significat, in signorum classem cooptatur.

XLI V.

Cum enim omnium partium actio hæc Naturalis communis sit, & in unaquaq; τὸ οὐκ ἔστιν ἰσχυρὰ, in quo mortalis Vita hæc moratur, tantisper duret, dum nutrimentum *ἐκ τῆς φύσεως* ipsi appellitur, fit, ut malè obitâ nutritione, protinus partium substantia fatiscat, & divivificus earum calor, pabulo suo defraudatus, paulatim & ipse languescat, ac tandem prorsus elidatur.

XLV.

Nutritionem autem tum malè in partibus peragi contingit, quando quæ singulis ipsarum tributa à primo ortu sunt quatuor *ἐκ τῆς φύσεως ἰσχυρὰ*, id est, actiones nutritioni famulantes dictæ illæ, præter Naturam sunt affectæ.

XLVI.

Quæ enim pars nutriatur, quæ alimentum, suæ Naturæ ductu, non attrahit: allectum non amplexatur; domesticum & vernaculum factum, non in genium suum mutat: non deniq; quæ inde pro derelicto supersunt, à se expellit.

XLVII.

Hæc igitur actiones læsæ privatim de singulis partibus testantur; sed quæ signa paulo obscuriora sunt; quod naturæ arcanus modus in ijs rationi quidem innotescat; sensibus verò perinde ut in Ventriculo & epate minus obvius & manifestus.

B 2 Partium

XLVIII.

Partium enim tanto conspectiora signa sunt, quanto actiones ipsarum evidentiores. Cuiusmodi natura esse Ventriculum & epas voluit, ut diuina & dispensationi publici commeatus, quem hic preparatum & instructum, ad priuatas seorsim partes venæ conuehant, usu actioneque sua inservirent.

XLIX.

χύλωσις igitur vitii Ventriculi; αἰμάτωσις lesa, epatis præter Naturam affecti, signum est indubium:

L.

Et tantum de primo signorum fonte, qui est aliorum causa: Nam lesam actionem excrementorum sequitur colluvies, & quia naturæ molesta sunt, eorundem excretio.

LI.

Alter igitur fons signorum ab excretis desumitur, quæ sunt vel particularum partes, vel earundem contenta.

LII.

Prioris generis sunt, cartilagineum corpus ἑσώχτιον dictum: & viscosa crassaque tunica, ad descendulo illi, tussi reiecta. Hæc enim gutturis internam partem, illud pulmonem affectum notat: ut & ipsius pulmonis portio, tussi per exulcerationem explosa.

LIII.

Ita per dysenteriam membrana deiectione excreta, intestini vel tenuioris vel crassioris ulcerationem, pro quantitatis, temporis quo excernitur, & missionis ratione notat.

Præter

LIV.

Præter enim essentia proprietatem, cum magnitudo, tum modus excretionis, tempus, figura, aliâq; accidentia in excretis τῶν ἰχθύνων particulis consideranda sunt, quod Galenus monet.

LV.

Ad quam classem quoq; referuntur ὑποσώσας urinarū πτελώδης & λεπτοειδής: tum etiâ σπερκώδης ἢ σπερκία μικρὰ in urinae contentis exiguae caruncula, nunquam Galeno spe-
4. aph. 76. comm.
 Etia. Ille enim vesicam ulceratam, hæc renes affectos, in-
 dicant.

LVI.

Sunt autem hæc omnia ex genere τῶν ἐπιλειδῶν, quæ particulam à qua exploduntur, modo excretionis, detegunt. Ramentum enim de gula Ventriculo destrictum, vomitu; ex respiratori inſervientibus instrumentis, tuſſi: ex intestinis, dejectione excernitur.

LVII.

Ad partium autem essentiam etiam τὰ ἐπιφύερα, id est, ex partibus procreata, vel iisdem adherescētia cum Galeno referimus: quando illis quoq; sua sit τῆς ἰδίας ιδιότης, ex partium præter Naturam affectarum, adeoq; vitiosa earum earum essentiâ, genita.

LVIII.

Hujusmodi ἐπιφύερας seu excrescentie, quas à similitudine μύκητας, id est, fungos Galenus vocat, & læsæ meningi ex cranij fractione ferè tantum attribuit. Etsi alibi com-
3. Epid. com. 3. t. 47. & 49.
 munes fungos faciat, omnibus partibus exulceratis ab hu-

B 3 morum



1.24 Probl. 91. *morum crassitie productos. Aphrodiseus cranij fungos, frigore ossis, in eam formam condensari scripsit: quod de alijs quoq; similiter statui posse videtur.*

LIX.

Posterioris autem generis sunt τῶν περιεχομένων ἐν μεμβρίαις ἕσθιας, id est, res in partibus contentae, eaq; vel κατὰ φύσιν.

LX.

Secundum naturam sunt cerebri portio in vulnere reperta, meningas disruptas ostendens: respiratione efflatus spiritus; λείβη seu fibra pulmonis exerta forisq; conspicua, (quam aliqui contra Galenum ad θείον referunt, nescio quam rectè) succingentem costas membranam vulneratam aut thoracem confossum indicant. Similiter de reliquarum partium naturalibus, praeter naturam ἐκκεκρυμμένοις, iudicandū

LXI.

κατὰ φύσιν ἔστιν ὅτι omnino praeter Naturae modum in partibus, ὡς ἐν ἀλλοτρίας χώραις, ἔστιν ἐν ἀλλοτρίᾳ χώρᾳ ἔστιν ἐν ἀλλοτρίᾳ χώρᾳ ἔστιν ἐν ἀλλοτρίᾳ χώρᾳ, ut in renibus ἔστιν ἐν ἀλλοτρίᾳ χώρᾳ ἔστιν ἐν ἀλλοτρίᾳ χώρᾳ ἔστιν ἐν ἀλλοτρίᾳ χώρᾳ, et vesica praecipuè calculus: pus in thorace, ἔστιν ἐν ἀλλοτρίᾳ χώρᾳ ἔστιν ἐν ἀλλοτρίᾳ χώρᾳ ἔστιν ἐν ἀλλοτρίᾳ χώρᾳ, et sanguinis θρόμβου ibidem, vel alijs quoq; partibus concreti, alijve humores vel inibi geniti vel ἔξωθεν ἐπισηρθεύσασθαι, foris ἔστιν ἐν ἀλλοτρίᾳ χώρᾳ ἔστιν ἐν ἀλλοτρίᾳ χώρᾳ ἔστιν ἐν ἀλλοτρίᾳ χώρᾳ, et aliunde in partem expressi ac depositi: ut sanguis in vesicam ex ruptione ureterum demissus: humor catarhialis in ventriculi ἐπισηρθεύσασθαι delapsus, concoctionem eius labefaciens.

LXII.

Sequitur fons tertius ἀ θείου, id est, positu vel situ parvis desum-

desumptus. Consideratur hic Galeno ratione tumoris, certa
tam corporis sedem occupantis. Qui enim in dextro hypo-
chondrio conspicuus est, epatis: qui in sinistro, lienis affecti
notam exhibet.

LXIII.

Pari modo cum excretis collatus partium positus, faci-
li negotio affectam illam detegit. Nam per os, vomitu re-
iecta membranosa tunica gulae aut ventriculi: tussi, gutturis
aut asperae arteriae: sreatu, faucium: si meiendo cum urina,
eius fistulae: si à sede, alicuius intestinorum: si per locos mu-
liebres, uteri affectum portendit.

LXIV.

Sed & dolor, qui per se certam partem non denotat,
positus tamen ratione, & situm eius & ipsam omnino par-
tem affectam ostendit. Etenim qui inter vomendum do-
lor in anteriore & inferiore parte ad hypochondria percipi-
tur, ventriculi: superiori & posteriori ad $\mu\epsilon\tau\alpha\phi\epsilon\rho\upsilon\sigma$, gulae
ulcus subesse innuit.

LXV.

Ita naepdian seu ventriculi orificium superius, à capaci-
tate illius, situs doloris distinguit. Acris namq; devorata,
mordicationem, illic quidem secundum thoracis cavum, hic
verò circa os ventriculi aut loco etiam paulò inferiore ex-
citabunt.

LXVI.

Omnia autem & proprie dicta symptomata, quae quidem
quartum signorum fontem monstrant, earum partium, qui-
bus sunt vernacula & familiaria, notitiam suppeditant.

B 4

Phrenitis

LXVII.

Phrenitis enim & Apoplexia principis animæ facultatis
symptomata, cerebrum affectum indicant: suffusio, oculis
tantum est familiaris: ozæna & polypus naribus: rubor
maxillarum, peripneumonicis: fastidium, ori ventriculi.
Deiectio loturæ recens iugularum pecudum similis, im-
becillitatem epatis comitatur.

LXVIII.

Cuius farinæ etiam coloris proprietas tum partis, tum to-
tius corporis perhibetur. Ictericorum enim oculi auri colorem
representant, quod fellis vesicula affecta sit: pallidus au-
tem color, epaticos, lividus & obscurus, spleneticos arguit,
uterq; hydropicis familiaris.

LXIX.

Restat signor. fons ultimus, in doloris proprietate con-
sistens, quod dolor quidam sit alijs partibus proprius, alijs
minimè competens.

LXX.

Νοῦα τῶν δὲν ἐργὸν ἢ διὰ κεντῶν id est, dolor pungitivus,
ad membranas propriè pertinet, ipsius affectus, velut radi-
ce eo loco fixa. ubi membrana pungitur, dolore sese circa e-
um circulatim diffundente.

LXXI.

Quem verò διὰ κεντῶν ἢ ἐργὸν ἢ διὰ κεντῶν id est,
divulsivum aut lacerativum, membranis carni
hinc inde intertextis Galenus tribuit: quas causa
dolorifica

dolorifica non in his, sed in carne substrata consistens, sensu lacerationis percellit.

LXXII.

Alia doloris proprietas viscerum parenchymati conuenit, qui grauis dolor dicitur. Quæ quidem viscera etsi sensus participia non sint, ratione tamen investientis ipsa membrane, sensum exhibet cuiusdam vel suspensi, vel deorsum trudentis, aut prementis ponderis: Vnde suspensivum eundem, & detractivum nominare consueverunt.

LXXIII.

Qui terebri perforantis, aut pali infixi *Φαρυγγίτις* habet, crassum intestinum affectum indicat. Vtrumque autem cum quantitate & qualitate, tum motu Galenus distinguit.

LXXIV.

Pulsans dolor partibus inflammatis, sensu præditis, & arterias continentibus accidit. His quidem proprie, primario ac per se, illis vero per consensum, & per accidens. Estque dolor, partium vicinarum seu musculorum, a motu arteriarum, vel compressione.

LXXV.

Διατάνω id est tensivus, ad nervos quos intendit, pertinet: unde convulsivum eum non ineptè quis dixerit.

LXXVI.

ὀστέπαι ossa infestant dolores, qui quidem profundi etiam sunt, ob illorum situm: ex his qui sæviores sunt, & noctu

noctu imprimis, sine intermissione agrum fatigant, de luis
Venereæ infectione suspectum eum reddunt.

LXXVII.

Affines superioribus sunt, πωδης dictus, ἢ μὲν τὰ σπινθηρὰ,
id est, extensivus, qui est, aut à materia humida & crassa,
aut à flatu, in partibus concavis sensu præditis; aut sub
membranis: Vlcerosus, à materia acri, pungente, in musculo-
rum tenui & laxa substantia; pruriginosus, à materia acri
& tenuiore, in corporis cute densiore & compactiore.

LXXVIII.

Et hæc quidem de locorum affectorum prior est conside-
ratio. Posterior autem est de modo generationis ipsius dispo-
sitionis, id est, num proprie & primario, an vero per con-
sensum & secundario, pars affecta sit existimanda.

LXXIX.

Primario enim affecta pars est, quæ ἰδίου καὶ ἰσχυροῦς habet,
aut αὐτοῦ καὶ ἀεὶ ἰσχυροῦς seu perseverantem constitutionem, pri-
ma generatione, parti inductam: Secundario affecta, dispo-
sitionem & ipsa habet, non ἐπιπλεῖ sed nata ἰσχυροῦς quæ facile
dissolvitur & emendatur.

LXXX.

Exacerbantur enim, mitescunt, aut omnino abolentur
affectiones, in partibus consensione affectis, ad incrementum,
effectum, & abolitionem illarum quæ in parte primario af-
fecta consistunt. Illius mala continenter infestant; hujus
per

per intervalla repetunt. Illam tandem graviora & plura
symptomata comitantur; hanc mitiora & pauciora.

LXXI.

Quæ quidem aut non legere aut obiter saltem aspe-
xere, qui Galenū ab inquisitionis diligentia defecisse, auda-
citer contendunt, quando accuratè, quæ ipse docuit, scrutan-
ti, & Doctoris hujus indefessum studium, & in obrectato-
ribus ejus, calumniosè contradicendi i libido, non possit,
rectè judicantibus, non innotescere.

Errata sic corrigantur:

Thesi 4. le. περιθόρων. 14. partium interiorum. 21. Ea enim.
26. communes. 32. deprehenditur. 49. vitata. semel legendum,
earum. 71. Αγαπώντα.

Τῷ Θεῷ δόξα.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Second block of faint, illegible text in the upper middle section of the page.

Third block of faint, illegible text in the middle section of the page.



Wittenberg. Diss., 1613/23


V. 17

ULB Halle

3

002 673 304







A. D. O. M.
THESES MEDICÆ.

19
1617

De
Locorum affectorum, secundum Galenum, notitiâ:

Ad quas
P R A E S I D E
ERNESTO HETTENBACHIO
Philosophiæ & Medicinæ Doctore,
eiusque Professore Pub.

*In inclyta VVitebergensi Academia, exercitij gratiâ,
publicè respondebit.*

M. IOHANNES GEORGIUS MAGNVS
Augustanus.

Die 8. Aprilis.

Hora & loco consuetis.



EX OFFICINA CRATONIANA.

ANNO M. D. CXVII.

